

2938 8. Aufl.

19

CHRISTIANI GOTTLIEB BVDERI, D.

CONSILIARII AVLICI SAXONICI IVRIS PVBLICI FEVDALIS  
ET HISTORIARVM PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ  
FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. DECANI  
IN ACADEMIA IENENSI

D I A T R I B A

DE

S. R. I. VICARIORVM  
IVRE PRAESENTANDI

AD

BENEFICIA ECCLESIASTICA

EX

DIPLOMATIBVS MONIMENTISQVE

FIDE DIGNIS BRVTA.



IENAE EX OFFICINA RITTERIANA  
A. O. R. CIO ICCCXXXI.

us publ. Germ.

455, 12

XVI.

C. 138

CHRISTIANI GOTTLIEB BÄDRI. D.

CONSTITUTUS ACADEMIAE PRAESIDENTIS  
ET M. S. T. I. N. O. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. P. U. B. L. I. C. I.  
PRAESIDIUM IN ACADEMIA PRAESIDENTIS  
IN ACADEMIA PRAESIDENTIS

D I A T R I T A

DE

S. R. I. V. I. C. A. R. I. O. R. V. M.

IVRE PRAESIDENTANDI

AD

BENEFICIA ECCLESIASTICA

ET

DIPLOMATIBUS NOMINANTIBUS  
E. S. S. P. O. S. T. U. L. A. T. I. S.



IMPRESSE EX OFFICINA RITZSCHAE

A. G. O. T. T. I. E. R. I. I.



DE  
S. R. I. VICARIORVM IVRE  
PRAESENTANDI AD BENEFICIA  
ECCLESIASTICA  
D I A T R I B A.

---



§. I.

VM mortuo CAROLO VI. Aug.  
immortali memoria dignissi-  
mo, vacante imperiali throno,  
Serenissimi Potentissimique Sa-  
cri Imperii PROVISORES et  
VICARII curam viduatae Ger-  
maniae agunt, quaeque ipsis competunt sum-  
ma Iura prouidentissime exercent, non in-  
fructuosa forte erit breuis obseruatio anno-  
tatioque de summorum Principum horum  
*Iure*, quod ipsis in *Aureae Bullae* Lege funda-  
mentali \* adtributum fuit, *praesentandi* nimi-  
rum *ad Beneficia Ecclesiastica*.

\* Tit. V. §. 1.

A 2

§. II.

## §. II.

Non facio in praesenti litem meam, quae inter magni nominis Iurium publicorum interpretes agitata fuit, an sub hisce Legis *Aureae Bullae* verbis intelligatur *Ius dandi et concedendi primarias Preces*, utriusque enim sententiae defensores erudite diligenterque recensuit V. C. GEORGIUS HENRICVS AYRER \* in Academia Gottingensi Iurisconsultus.

\* culta Commentatione de *Iure primariarum Precum*, Gottingae MDCCL. 4. edita, Cap. III. p. 109.

## §. III.

Quae autem verbis Legis Imperii continentur supremorum in Imperio Vicariorum *Iura praesentandi ad Beneficia Ecclesiastica* alia, exemplis ex monumentis fide dignis petitis, breuiter strictimque declarabo.

## §. IV.

Confirmata fuit et repetita post conditam Legem *Bullae Aureae*, haec potestas ad *Beneficia ecclesiastica praesentandi*, Vicario in partibus Rheni, Sueuia et terris Iuris Francici Comiti Palatino *Ludouico*, beneficio patris Regis Romanorum *Ruperti*, qui et in *absentiae*  
rega.

*regalis casu Vicario concessit potestatem \* ad Canonatus, praebendas et dignitates etiam si curatae ac electivae, ac maiores post Pontificales in Metropolitanis et Cathedralibus, ac principales in Collegiatis existant, personatus, ecclesias Parochiales et beneficia et officia ecclesiastica seu temporalia, dum et quoties vacauerint, personas aptas et idoneas praesentandi et eas et ea conferendi.*

## §. V.

Inter haec *Beneficia Ecclesiastica*, quorum conferendorum potestas *Vicariis Imperii* absque vilo dubio competit, sunt *Praebendae illae Regales et Canonatus* in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, aliisque a Regibus nostris, vel fundatae, vel referuatae, quarum et numerum, quem explorare potui, naturam porro ac indolem, breui scriptione \* exposui.

\* edita sub titulo: *Historia Germaniae, siue Praebendae Regiae, lenae 1738. 4.*

## §. VI.

Hos *Canonatus et Praebendas* Reges nostri honoris causa ipsimet gerunt, atque ab ipsis Capitulis in gremium societatemque quondam recepti fuerunt, quia tamen officium suum in

*Choro et Capitulo* facere haut possunt, aliis honestis Viris locum suum adsignant, *Praebendaeque huius regalis collationem*, quando vacauerit, exercent.

## §. VII.

Regibus autem nostris et Imperatoribus, vel fato functis, vel quando se abdicauerint, vel absentes fuerint, conferendi huiusmodi *Praebendas et Canonicatus regales potestatem S. I. Vicariis* competere et *Lex Aureae Bullae* generalibus verbis docet, et praxis confirmat. Quum enim *Fridericus III. Aug. A. C. M CCCC LXVIII.* ad limina Apostolorum cum orationis, tum suorum commodorum causa Romam concessisset, *Fridericoque* cui *Victoriosi* post ea nomen fuit attributum, *Electo Palatini* administratori innotuisset in Cathedrali Episcopatus *Spirensis* templo *Canonicatum* siue *Praebendam regalem* vacare, *Beneficium* hocce *Ecclesiasticum*, absentis tum Augusti *Vicarius* contulit *Ioanni, Andreae* Protonotarii, forte *Electoralis*, filio. Quod nobili comprobamus diplomate, ex Archiuis Palatinis desumpto, exaratoque hisce verbis:

FRIE-

## FRIEDERICH ETC.

**V**nsern Gruss zuvor etc. Wüirdigen, lieben be-  
 sondern, Als itzund ein KÜNIGS-PFRÜNDE  
 in Ewrem Stifft ledig worden, und also gestifft und  
 berkommen ist, daß die LIHUNG derselben Pfründt  
 einem ROEMISCHEN KÜNIG der zu zytten ist,  
 zusteet, vnd nachdem nuwe unser gnediger Her der  
 Ræmische Künig nu zur zytt über Berg in Welschen  
 Landen, Vnd der Hochgeborne Fürst, unser lieber  
 Vetter Hertzog Philips also von dem heiligen Rich  
 gefrytt ist, vnd sin vorætern daß löblich herbracht  
 hann, datz Er in solchen Abwesen desselben vnsers  
 Herrn des Ræmischen Kunings des heiligen Richs  
 Vicarius ist, Also daß vnß von wegen, an Statt vnd  
 als einem Furmundern desselben vnsers Vettern, ge-  
 burt under anderem auch solche PFRÜNDE ZU-  
 LYHEN und daruff zu PRAESENTIREN, Da  
 haben Wir uff die egemeldt Pfrundt, mit einem an-  
 dern vnserem versiegeltem brieff, Johannem, Mein-  
 ster Endrißen Prothonotarien sehligen Sohn Euch ge-  
 antwort, als Ihr wohl sehen werdet, Begern wir,  
 Euch mit freundlichem Ernst bittend, daß Ihr oder  
 wem daß under Euch geburet, demselben Johannes,  
 auf solch VNSER LIHUNG zu der Pfrundt zu-  
 lassen, und Ihme Possess geben, vnd vnsern Vettern  
 vnd

vnd

und unß in solch vnserer gerechtigkeit und LIHVNG,  
 so fern an Euch ist, niemands tringen lassen wollendt,  
 Alß Wir Euch sonderlich wohl getruwen. Daran  
 bewisen Ihr unß sonderlichen Wohlgefallen, Daß wir  
 auch genediglich gegen Euch und Ewrem Stifft er-  
 kennen wollen, Datum Heidelberg feria quarta post  
 Dominicam Reminiscere.

An Dechan und Capittel des Dum-Stiffts  
 zu Speyer.

Non autem haec Beneficii Collatio in vim  
*primariarum Precum*, quae alias a *Vicariis* confe-  
 runtur, facta, sed ex *lure praesentandi* ad quae-  
 cunque *Beneficia*, quorum Collatio Regi prae-  
 senti, vel viuo competebat, qualis est *Praeben-*  
*darum illarum Regiarum*, vel *Canonicatum Au-*  
*gustalium*, quos inter fuit in Ecclesia Cathedrali  
*Spirensi*, quem contulit *Fridericus vicariali* no-  
 mine tituloque. Docere id et confirmare vi-  
 dentur illa *zuleyhen* et *zupraesentiren* verba.

§. VIII.

*Wormatiensis Cathedralis Ecclesiae* memo-  
 rabilibus omnino annumeranda \* est *Praeben-*  
*da Regalis*, cuius Collatio Regibus et Impera-  
 toribus competit, hisque extinctis morte, vel  
 absen-



absentibus, *Vicario* in cuius terris sita haec sedes est episcopalis. Confirmant ius collationis regium petita ex rege secretis, quae Vindobonae Austriae adseruantur, mihi que amice communicatae, augustales literae *Leopoldi I.* et *Caroli VI.* Augg. quarum exempla accipiat beneuole curiosus Lector, ita exarata stilo imperiali:

**L** EOPOLDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Rex, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae; Marchio Morauiae, Dux Luxemburgiae, ac Superioris et Inferioris Silesiae, Würtembergae, Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio S. R. Imperii Burgouiae, ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclauoniae, Portus Naonis et Salinarum etc. Honorabilibus, deuotis, Nobis dilectis N. Decano et Capitulo Cathedralis Ecclesiae Wormatiensis, aut illi, vel illis, ad quem, vel ad quos Ius inuestiendi ad infra scriptam Praebendam pertinet, gratiam nostram

B

stram Caesaream et omne bonum. Cum per obitum deuoti nobis dilecti Philippi Trarbach, PRAEBENDA Regalis in dicta vestra Ecclesia Cathedrali vacet, cuius collatio seu IVS PATRONATVS et PRAESENTANDI ad nos tanquam electum Romanorum Imperatorem rediit, Nos eidem PRAEBENDAE de alia rursus Persona idonea prouisum cupientes, deuotum nobis dilectum Arnoldum Consbruch, qui Nobis honorifice de vitae honestate, modestia ac morum probitate singulari commendatus, et iam aliquot abhinc annis in obsequiis ministrorum nostrorum de Nobis bene meritus est, vobis loco praedicti Trarbach nominandum et praesentandum duximus, prout eundem tenore praesentium in Dei nomine nominamus ac praesentamus, vos proinde benigne hortantes, et a vobis requirentes, vt dictum Arnoldum Consbruch, sic vt praefertur praesentatum, de memorata Praebenda Regali cum iuribus et pertinentiis suis inuestire, et canonice, vt moris est, instituere velitis, harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum et Sigilli nostri Caesarei appensione munitarum, quae dabantur in Ciuitate nostra Viennae die tertia Februarii Anno millesimo septingentesimo quinto, Regnorum nostrorum, Romani quadagesimo septimo, Vnga-

Vngarici quinquagesimo, Bohemici vero quadragésimo nono.

LEOPOLDVS.

Maximilianus Adamus  
Comes a Walstein.

Praemissa Copia concordat suo originali de verbo ad verbum me Ioanne Christophoro Bing utriusque authoritatis Notario publico approbante. Signatum Wormatiae 1. Aprilis 1705.

\* \* \*

CAROLVS Sextus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniae, Castellae, Aragoniae, Legionis, utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Sclauoniae, Nauarrae, Granatae, Toleti, Valentiae, Galliciae, Maioricarum, Seuiliae, Sardiniae, Cordubae, Corsicae, Murciae, Giennis, Algarbiae, Algezirae, Gibraltaris, Insularum Canariae et Indiarum ac Terrae firmae Maris Oceani; Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Mediolani, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Limburgiae, Luxenburgiae, Würtenbergae, superioris et inferioris Silesiae, Calabriae, Athenarum et Neopatriae, Princeps Sueviae, Cataloniae et Asturiae; Marchio S. R. Imperii Burgouiae, Morauiae, superioris et inferioris Lusatiae; Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiae et

B 2

Arthe-

*Arthesiae, Landgravius Alsatiae, Marchio Oristani, Goziani, Namurci, Rossilionis et Ceritaniae; Dominus Marchiae Sclauoniae, Portus Naonis, Biscaiae, Molinae, Salinarum, Tripolis, et Mechliniae etc. Honorabilibus, deuotis, nobis dilectis N. Decano et Capitulo Cathedralis Ecclesiae Wormatiensis, aut illi, vel illis, cui vel quibus Ius inuestiendi ad infra scriptam Praebendam nostram regiam, competit, gratiam nostram Caesaream et omne bonum. Cum Praebendam nostram Regiam in praefata vestra Ecclesia Cathedrali inde vacare contigerit, quod ad manus nostras Caesareas prior nuper possessor nobis dilectus Arnoldus Consbruch eandem libere et simpliciter resignauerit ac deposuerit, atque Ius Patronatus vel praesentandi et collatio ipsius ad Nos, qua electum Romanorum Imperatorem rediisse pateat, Nos eidem NOSTRO BENEFICIO REGIO de alia rursus Persona idonea prouisum cupientes, deuotum Nobis dilectum Ioannem Rudolphum Schnernauer Dioecesis Wormatiensis Clericum, qui nobis de virtute morum doctrinaeque scientia admodum commendatus est, loco supra nominati Consbruch nominandum praesentandumque duximus, prout ex certa scientia et deliberato consilio vigore huius Diplomatis nostri Caesarei eundem*

*nomina-*

*nominamus et praesentamus, proinde Vos clementer hortantes et a vobis requirentes, ut dictum Ioan- nem Rudolphum Schnernauer hisce legitime praesentatum eiusue procuratorem de eadem Prae- benda nostra regia una cum quibuscunque iuribus, pertinentiis, fructibus, emolumentis, ac praerogati- uis suis inuestiatis, et canonice, ut iuris ac moris, in- stituatis, harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum et Sigilli nostri Caesarei appensione munitarum, quae dabantur in Ciuitate nostra Vien- na die duodecima Mensis Iunii Anno millesimo septin- gentesimo vigesimo tertio Regnorum nostrorum Ro- mani duodecimo, Hispanicorum vigesimo, Hungarici et Bohemici vero decimo tertio.*

## CAROLVS

*Vt Frider. Carol. Comes  
de Schoenborn.*

*Ad mandatum Sacrae  
Caes. Maiest. proprium  
P. I. Georgen dict.*

\* Iocuples historicus in re-  
bus Wormatiensibus enarrandis  
IOAN. FRIDERICVS SCHAN-

NAT arcana forte ex caussa, de  
hac Praebenda regia plane ta-  
cet.

## §. IX.

Extra ceteras *Metropolitanas et Cathedra-  
les*, quas alio loco consignauimus \* *Ecclesias*,  
vel iure *Fundationis*, vel *supremae Aduocatae*

B 3

et

et Protectionis, alioque, competit Regibus nostris et Imperatoribus *Ius conferendi Personatus, Canonatus, aliaue Beneficia*, quorum notitiam suppeditat codicillorum regionum laetissimus prouentus, qui nostro aeuo lucem auspicato vidit.

\* libello *de Praebenda Regia*.

§. X.

In *Aquensis* enim sedis regalis et primae Regni curiae inclita Ecclesia *S. Mariae*, in qua Coronatio et inauguratio Regum Romanorum peragi ex Lege debet, eminentis *Praepositurae* dignitatem ad *Regiam collationem* pertinuisse, docent *Caroli IV. Imp. literae*, \* quibus *Wilhelmi Comitis de Weda* praesentationem, nomine *Imperii* a *Wilhelmo Duce Iuliacensi* factam, an, MCCC LX. confirmat, clarisque verbis profitetur: *virtute Sacri Romani Imperii Ius Patronatus, seu Praepositum praesentandi*, ad se pertinere. Qui Augusti et *Praebendam Regalem ordinariam* ibi conferunt. \*\*

\* quas edidit illustris Vir ADAMVS FRIDERICVS GLAFEY *Anecdotorum S. R. I. Historiam et Ius Publicum illustrant. Collectio- ne N. CCLXXII. p. 394.* PETRVS

quidem A BEECK Imperialium Ecclesiarum in Aquis B. Mariae Canonicus et ad D. Adelbertum Praepositus *Aquisgrano*, sine historica Narratione *de Regiae S. R. I.*

*R. J. et Coronationis Regum Rom. Sedis Aquensis Ciuitatis origine et progressu* Cap. II. de dignitate huius *Praepositi*, varia et praeclara multa annotauit de regio autem iure tacet, quod *Carolinae* literae aperte loquuntur.

\*\* Compara cit. *Diss. de Praebenda Regia* §. VIII. et *PETRUM A BEECK* l. c. Cap. II. p. 26. vbi de *Capitulo Aquisgranensi* commentatur, addit: *E praescripto numero quatuor et viginti Capitularum confessum constituunt; e*

*presbyterio initiatorum ordine* VNAM PRAEBENDAM *Regiae et Caesareae Maiestatis* SIBI reseruat ac sui absentis loco ne *O. M. Dei cultum imminui contingat* quondam VNICVM, hoc acuo vt DVOS actu *Sacerdotes, actu residentes Vicariam operam impendentes* surroget prouisum, indigentur *hi Regiae Maiestatis VICARII* ac prouentus vnus *canonicae Portionis* aqua lance inuicem partiuntur.

### §. XI.

*Primariae Terrae Rhenensis* et principis *Prouinciae Domanialis* Vrbes, Palatia, plura habuerunt templa, coenobia, in quibus ex *iure fundationis et dotationis, Beneficia* contulerunt *Reges Germaniae*, vel postmodum ex regia gratia aliis conferenda, tribuerunt. Ex insigni *Codice Diplomatum Caroli IV. Imp.* verbisque *codicilli Augustalis* \* an. M CCC LX. signati constat: *IVS PATRONATVS Ecclesiae Parochialis in Germersheim ad Imp. et sacrum Imperium pertinuisse pleno iure*, quod *Carolus IV.* tum *Priori et Conuentui Seruorum B. Mariae Ordinis Augustin.* in perpetuum concessit et donauit. Verisimile non minus est  
idem

idem Ius Beneficiarium exercuisse in Ecclesia Palatii celeberrimi *Ingelheimensis*, in quo cum B. Maria et S. Wenceslao, quondam singulari colebatur studio, *der heilige sand Karl*, (*Carolus M. Imp.*) optabat enim *Carolus IV.* das für *Vns und des heiligen Reiches Seligkeit und gut Wesen der himelisch keiser in demselben kloster, würde ewiglich gebeten.* Qua de caussa *Mauritio Praeposito*, quem appellat *unsiren liben Caplan, HOFGESIND und Andachtigen*, successoribusque an. MCCC LX. tribuit dimidium censum *Iudaeorum Francofurtensium.* \*\*

\* Editionis illustris Dn. GLA-  
PEY N. CCLXXIII. p. 405.

\*\* Compara Codicem laudatum  
*Carolinum* N. CCLXXIII. p. 395.

## §. XII.

De Iure Patronatus regio in Ecclesia Parochiali nobilissimae Urbis Imperialis *Noerdlingae* ex Diplomate *Henrici VII. Imp.* an. 1310. commemorantem audiamus V. C. D. E. DOLPIVM \* de Iuribus Regum et Imperatorum in Ciuitate *Noerdlingensi* hisce verbis: *Es muß aber ferner dahin referiret werden das Ius Patronatus der Pfarrkirche, so nach dem Zeugnis Kayfers Henrici VII. in einem Diplomate de an. 1310. ein Kayserlich und Reichs-Recht gewesen, wie man derglei-*



dergleichen von mehr Reichs-Städten unter welchen mir dermalen Weissenburg am Nordgau und Gien- gen beyfallen, findet.

\* egregio libello, quem in-  
scriptis: kurtze iedoch gründliche  
Ausführung, daß die Reichs-Stadt  
Nördlingen in Schwaben nicht  
erst an. 1251. zur Reichs-Imme-  
diat gelanget, edito Nördlingen  
1735. 8. p. 43.

### §. XIII.

In Saxoniae immediatis quondam, et ad Regem pertinentibus palatinisque terris, in- que Curia regia Goslaria notabilis in primis Ecclesia Collegiata SS. Simonis et Iudae, de qua an. 1188. Fridericus I. Imp. in Diplomate scripsit: eam sibi speciali ratione semper fuisse et esse ob- noxiam, se eam præ ceteris honorare et amplecti, eiusque libertatem GLORIAM CORONAE suae re- putare, quippe quae ad NULLVM IN MVNDO NISI AD IMPERATOREM VEL ROMANORVM REGEM DEBEAT RESPECTVM. \* Quam, Canonorum Aquisgranensium Collegium so- ciam gloriae suae adgnouit honorabilique: Confratrum; Capellanorumque Imperii titulo, cohonestavit. In ea certe, docente eodem doctissimo HEINECCIO, \*\* ab ipsis Ecclesiae incunabulis ad Friderici I. vsque tempora vix  
C vllus

ullus reperitur PRAEPOSITVS, quin aut summum in Palatio locum, aut a summo proximum obtinuerit. Immo tam frequentes in aula versabantur, vt *Fridericus* Imp. ideo bona *Praepositurae* a ceteris Canoniorum facultatibus separata voluerit, quo PRAEPOSITVS ad regni seruitium expeditus habeatur. Ius autem hoc Patronatus imperante *Carolo IV.* ad Imp. et Imperium adhuc pertinuisse, Augusti huius Praesentatio docet, qua hanc Praeposituram, *Hartmanno* dicto *Tzabel* confert, et scriptis ad *Decanum* ac *Capitulum* an. 1361. litteris \*\*\* confirmat: *Ius patronatus, seu praesentandi, dum vacat ad se et Imperatores ac Reges Romanorum, successiue pro tempore existentes, ratione Romani Imperii tanquam veros ipsius Praepositurae Patronos pertinere.*

\* Hoc et alia elogia *Capellae* huius insignis *Regiae* ex diplomatibus conduxit, qui de huius origine et incrementis erudite et copiose commemorauit B. IOAN. MICHAEL HEINEC-  
 CIVS *Antiquitatum Goslarie-*  
*sium* L. I. p. 39.  
 \*\* l. c. L. I. p. 83.  
 \*\*\* quae extant in *Codice Ca-*  
*rol.* ed. *Glaseyanae* N. CCCCXXII.  
 p. 606.

## §. XIV.

In eodem Palatinatu Saxoniae regia sita erant Palatia *Grona*\* et *Walabusen*. In vtroque  
 Capellae

*Capellae erant regiae, et Ius conferendi Officia in iisdem et Beneficia ad Regem pertinebat.*

\* Pererudite et accurate, vti facere solet, de hac *Capella Regia* huiusque fati, et collatoribus Beneficiorum egit illustris Magnae Britanniae Regis et Electoris Brunsvicensis Luneburgensis historicus IOAN. DANIEL GRUBERVS in fortgesetzten Betrachtungen über die ältesten Nachrichten

von Göttingen und der Göttingischen Gegend, quae praefixae sunt *Parti Tertiae, der Zeit- und Geschicht-Beschreibung der Stadt Göttingen, §. XVII. p. 92. sqq.* qui p. 104 produxit tertii *Conradi Regis Romanorum Diploma*, quo Rex *Capellam Grune* appellat *Regno et nobis pertinentem.*

### §. XV.

In Palatio *Walbusano*, *Capella regia S. Martini* erat consecrata, quae absolute et libere ad Imperium spectabat, verbis Diplomatis *Friderici II. Imp. scribo*, Regiorumque *Capellanorum* constitutio Augustis competebat, ex quo autem *Fridericus II. virginum Sacrae Crucis* coenobium in regia vrbe *Northusana* conuertisset in Collegium Canoniorum, *Capellam* hanc cum hoc Collegio vniuit, sibi et Successoribus *Ius constituendi Praepositum* referuauit,\* verbis commemorabilibus: *ita quod ipsius PRAEPOSITVRAE DONATIO ad REGALEM PORRECTIONEM PERTINEAT, absolute in humilioris Personae dominium nullo unquam tempore transferranda, sed annumeretur aliis PRAEPOSITVRIS*

C 2

IMPE

*IMPERII, et gaudeat omni iure Praepositi, uti caeterarum ECCLESIARVM IMPERII consueverunt, recepturus ab Archi-Episcopo Moguntino curam eiusdem Ecclesiae, cum fuerit ab Excellentia Regia praesentatus.*

\* ediderunt Diplomata *FridERICI II. et Henrici VII. Augg.*, IOANNIS GEORGIUS LEVCKFELDIVS cum Narratione brevis de *Palatio Wallbusano*, quae adiecta *Antiquitatibus Blanckenburgensibus* p. 94. tum in *Antiquitatibus Wallbusanis* additis der *Historischen Beschreibung des S.*

*Georgen-Closters zu Kelbra* p. 352. Inserta quoque, cum aliorum Diplomatum Imperialium mentione, ANONYMI docti et diligentis Viri *Historischen Nachrichten von der Kayserl. und des H. R. R. freyen Stadt Nordhausen* p. 152.

### §. XVI.

In *Aquileiensi* Patriarchali Ecclesia *Canonicatum* Regium extitisse docet fragmentum concessionis regiae, qua *Carolus IV. Aug. Gotfriedo* nato *Alberti* ciuis *Nurembergensis* clerico *Bambergensis* Dioecesis, *Vicariam*, quae vulgariter *Imperialis Vicaria* nuncupatur, in laudata Ecclesia, vacantem per mortem *Michaelis* vltimi Vicarii anno 1360. attribuit.\*

\* extat in *Codice* saepius citato *Carolino* p. 481.

### §. XVII.

Rationem aliquam, cur Reges nostri et Imperatores in Ecclesiis Germanicis inter *Beneficia*

*neficia*, cum primis *Praeposituram* conferendam sibi censuerint aperit PETRVS A BEECK ipse Ecclesiarum in Aquis B. Mariae Canonicus et ad D. Adalberti Praepositus,\* verbis: *quandoquidem Praepositis incumbit conseruare et adaugere terrenas facultates et ecclesiasticas fundationes a Regibus et Principibus Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis impartitas, atque speculari ne eae dilacerentur ab hoste extero, ac siquidem distrabentur, vel dilaberentur illas vindicare et tueri, quam ob caussam retroactis saeculis magnatum ac procerum filios ad PRAEPOSITVRARVM fastigia designatos adlectosque vidimus, ideo hoc aeuo Praepositus dignitate praeeminentior censetur quam Decanus.*

\* *Aquisgrano, siue de Aquensis Ciuitatis origine et progressu p. 28.*

### §. XVIII.

Plura huius naturae *Beneficia*, quae ad regiam collationem quondam pertinuerunt, et hodie forte pertinent, in editis insigni apparatu et ineditis Ecclesiarum Germanicarum monumentis latent, quas curiosa lectorum diligentia in posterum annotabit.

C 3

§. XIX.

## §. XIX.

Atque haec sunt illa *Beneficia*, quorum conferendorum potestas, *certis in locis, perpetuo* et non semel tantum, sed quoties illa vacant, *vi Iuris Patronatus regii*, Imperatoribus nostris regibusque competit.

## §. XX.

Ne autem cultus diuinus, et quae *Praepositis* a Regibus nostris constitutis, incumbit prouida cura in conseruandis Ecclesiarum bonis, deficient, vacante regali throno, aut quando absens est Imperator, sapienter in *Aureae Bullae* lege dispositum est prouisumque vt *Interreges* et *supremi Vicarii*, potestatem haberent ad *Beneficia ecclesiastica praesentandi*. \* Quod autem, testimonio tot chartarum habuerunt Imperatores et Reges *Ius praesentandi*, illud, *quin in alios*, consensu cum primis totius Imperii, qualis in condenda Aurea Bulla contigit, *conferre queant*, nullum est *dubium*, recte pronunciat \*\* summus vir IOANNES SCHILTERVS Ienensium Musarum singulare quondam ornamentum.

\* Tit. V. §. 1.

Vicariis Imperii Rom. Germ. Argentorati 1693, edit. §. XI. p. 14.

\*\* Dissertatione eruditissima de

## §. XXI.

## §. XXI.

An vero *indultu Episcopi Romani* opus habeant Reges nostri et maxime Interregni tempore supremi Sacri Imperii Regnique Germaniarum *Vicarii*, in Collatione horum Beneficiorum, quae *Iure Patronatus* fit, hic breuiter exquirendum. Non puto exorandam hac in caussa Praefulis Romanae Ecclesiae ullam veniam, quum ob graues illas rationes, quas attulerunt summi eruditissimique Viri, qui ipsum Ius primariarum Precum sine indultu Pontificis Romani validum esse, recte grauiterque pronunciarunt, tum aliis de causis. Nec ipse supremus Romanae Ecclesiae Antistes id a summis *Vicariis*, exposcere videtur. Enimuero licet *Clemens* Papa XI. prouidentissimus et Rerum Germanicarum intelligentissimus praeful et princeps, exercitio *Primariarum Precum*, supremorum Imperii *Prouisorum* tempore Interregni, extincto acerba morte *Iosepho I.* Aug. edita an. 1711. tertia Octobris *Declaratione* \* *Nullitatis Precum primariarum Sacro Romano Imperio vacante, a Vicariis seu Prouisoribus Imperialibus expeditarum, et quarumcumque Prouisionum earundem Precum vigore facta-*

*factarum, seu faciendarum, contradixerit, mentionem tamen solum facit primariarum Precum cum in Praefamine Declarationis, tum in ipsa praetensa Nullitatis declaratione, non alius collationis, quae fit ex Patronatus iure, quod Regibus nostris competit, cuiusque exercitium, vacante throno, vti aliorum Iurium reseruatorum augustalium ad Sacri Imperii Vicarios, ex lege et ob salutem publicam, deuolutum. Nam Pontifex Clemens XI. expressis scribit verbis: Omnes et singulas primarias Preces supradictas praetextu eiusmodi S. R. I. assertorum Vicarialium Iurium, pro quorumvis Canonatuum, et Praebendarum aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, siue Saecularium, siue Regularium cuiusvis Ordinis seu instituti collatione, quibusvis Canonatuum et Praebendarum, aliorumque Beneficiorum huiusmodi Collatoribus seu Collatricibus ad fauorem quarumvis Personarum haecenus quomodolibet porrectas, et praesentatas ac (quod absit) in posterum porrigendas et praesentandas, cum omnibus et singulis inde secutis quandocunque secuturis, penitus et omnino illicitas, nullas, irritas et inualidas, viribusque et effectu, et de facto attentatas nulliusque roboris et momenti fuisse, esse et fore, nec vllatenus attendi*



*attendi debuisse, nec debere; Sed illas perinde ac si nunquam factae fuissent, vel emanassent, neque unquam fierent, vel emanarent, pro non extantibus, et non factis semper habendas esse etc.*

\* quae extat Magni Bullarii Romani Continuatione Parte Secunda N. XLV. p. 77.

### §. XXI.

Illud tamen est certum firmumque, observandas esse eas omnes normas in collatione horum *Beneficiorum*, quae ex solemni sanctissimaque pactioe praescribit *Instrumentum Pacis Westphalicae*. Si itaque anno illo temporeque normali \* *Praebendam* aut *Praeposituram* regalem tenuisset Protestantium sacris addictus beneficiarius, et vacans beneficium huius fidei professionis socio tribuenda erit. Ad sanctionum porro ac statutorum cuiuslibet Ecclesiae regulam et ceterae *Beneficarii* qualitates, exigendae videntur.

\* *Art. V. § 18. et 26.*

\* \* \* \* \*

D

APPEN-

## APPENDICVLA.

**N**ON video eruditissimos et locupletissimos de *Iure primariarum Precum*, scriptores, singularem illam quaestionem excitasse: *An Imperatori A. aut Vicariis competat vi primariarum Precum, Ius conferendi munus docendi in Academiis, quae aluntur a Ciuitatibus Sacri Imperii Rom. Germanici.* Qua de caussa dabo decerptam ex *Annalibus Ecclesiasticis Tomo XXII. p. 254.* IACOBI DE LADERCHIO Congreg. Orator. Presbyteri, huius argumenti natae controuersiae historiam. Maximilianus II. Imp. moderatissimi animi princeps, vi *Indulti a Pio Papa IV. anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, quarto Idus Iulii, impetrati, in Academia Coloniensi, Ius primariarum Precum sibi competere contendebat; Academia vero ad Pium Papam V. recurrens, insinuare huic connisa, ac si homines de fide suspecti auctoritate Caesarea Cathedras Vniuersitatis Romanis sacris addictissimae et zelo religionis aestuantis, occupare vellent, eaque arte eludere effectum precum Caesarearum cogitabat.* Dissipauit haec consilia prudentia Augusti, qui Pontificem de Iure suo edocuit exarata *Epistola*, quam heic dabo, quum rei seriem et Ius Augusti clare exhibeat, insertam *Annalibus Ecclesiasticis Laderchianis*, qui non in omnium sunt manibus. Ita autem scripsit Caesar:

*Beatissimo Patri, Domino Reuerendissimo.*

**P**ost officiosissimam commendationem filialis obseruantiae continuum incrementum. Cum praeter expectationem nostram,

nostram, imo et contra omnem rationem et aequitatem acciderit, quod Rector ac Prouisores, seu Defensores Vniuersitatis, seu studii generalis Coloniensis, accedente etiam, ut non obscure apparet, consilio, fauore, auxilio Ciuium et Consulium Imperialis nostrae Ciuitatis Coloniensis, praetextu cuiusdam Indulti Apostolici, nobis sese opposuerint, impedimentum inferre conati sint in **PRAESENTATIONE** et executione **PRECVM NOSTRARVM PRIMARIARVM** seu regalium, quas personis quibusdam, gratis et bene meritis, pro antiquissimo Iure a Diuis Praedecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus ac Regibus deuoluto, atque etiam post nostram Romanam electionem per Praedecessorem S. V. Pium IV. felicis recordationis approbato et confirmato, hanc ita pridem contulimus ac dedimus; iidem Rector ac Prouisores, ut colorem aliquem haberent, quo facilius inobedientiam suam excusarent declarationem et confirmationem eiusmodi praetensi indulti ac priuilegii sui a S. V. requirere atque ut ius nostrum isthic indubium in controuersiam vocetur, operam dare perhibeatur. Id autem cum vergat in vilipendium auctoritatis et dignitatis nostrae Caesareae, non immerito singularem nobis molestiam attulerit, nulloque modo a nobis tolerari queat: sicut nec S. V. mentem esse credimus, quod quisquam suis et Apostolicae Sedis Indultis ad labefactandam nostram et Sacri Imperii auctoritatem abutatur; praetermittere non potuimus, quin S. V. in hoc uniuerso negotio, per Consiliarium et Oratorem nostrum magnificum, fidelem, nobis dilectum Prosperum Comitem Archi officiose edoceremus. Quocirca nunc S. V. summo studio rogamus, ut non solum Oratori ipsi benigne aures praebeat, verum etiam supplicationem Rectoris et Gymnasii Coloniensis, si quid tale petierint, reiiciat, nullamque illis declarationem concedat, quae Nobis

et Serenissimis nostris in Imperio Successoribus quidquam praeiudicii adferat, sed potius Indultum ipsum, quo tantopere niti videntur, prorsus reuocet et abroget, adeoque cum suae propriae et Sedis Apostolicae et Sacri Imperii dignitati et auctoritati (siquidem utraque hoc loco concurrat) paterne consulere studeat, sicut ipsam, pro sua pietate, integritate et paterno in Nos amore, libenter facturam esse minime ambigimus. Quod sane aliis plurimis S. V. in Nos optima et propensissima voluntatis studiis annumerabimus, mutuaque filiali nostra obseruantia promereri contendemus. Datum in ciuitate nostra Vienna XXIV. Decembris anno 1567. Regnorum nostrorum Romani sexto, Hungarici quinto, Boemiae decimo nono

S. V.

obsequens Filius

MAXIMILIANVS.

Hodierno iure, exercitium Iuris primariarum Precum omnis ad normam Instrum. Pac. Westphal. Art. V. §. XVIII. et XXVI. fieri debet,

